



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XVI. Quia mediante Virgine omnia facilè à Deo impetrantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

S. Anselm. de excellent. Virg. cap. 8. Immensitatem gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti, ð Virgo sensus deficit, lingua facit. S. Bernardin. tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 3. Tantum differt gloria Virginis, à gloria omnium beatorum, quantum sol à cæteris luminaribus cœli: & quodammodò sicut cætera luminaria illuminantur à sole, sic tota cœlestis curia à gloriosa Virgine lætificatur, & decoratur. S. Bonav. spec. B. V. cap. 6. Gloriosum Mariæ privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius est in gloria, hoc Mariæ, hoc in Maria, hoc per Mariam. Ideoque ut Bernardin. dixerit: Summa gloria est, Mariæ, post Dominum te videre. Et S. Ioan. Damasc. 27. Ian. ode 1. eam sic salutât: Salve ð Domina decies millenis honorum vocabulis digna. Et Deus ipse tantoperè illâ delectatur: Revera ait S. Bonav. spec. cap. 6. in capite ejus Rex Regum diadema regni posuit, tam pretiabile, tam delectabile, tam mirabile quod hoc omni linguæ enarrabile, omni ingenio inscrutabile est. S. Theophan. 9. Febr. ode 1. Etiam cœlestis intellectus ad incomprehensum dignitatis tuæ mysterium pari subtilitate penetrandum, revera se hebetem sentit, ð ab omnibus certatim laudata. Eccles. Græca 24. Martij. illam à dextris constituit suis Deus, tanquam Reginam dignitate sibi propinquam, & excellenti pulchritudine præditam. Hortatur nos ad ejus laudes S. Sabbas Men. 25. Junij dum ait: Animatus ille Domini Thalamus, qui inter confusos spinarum acervos ad fulgentis lilij morem efflorescit, hic inquam animatus Domini Thalamus, dignus est omnibus, quibus per nos afficitur laudibus. Angelus apud S. Brigittam in serm. Ang. dum multa arcana Dei enunciat, ante mundi originem ita loquitur inter cætera. Mundo creato, adhuc unus minor mundus Virgo Maria coram Deo, cum omni venustate nondum creatus est, à quo major gloria Deo, & Angelis major lætitia, atque omni homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quam de hoc majore mundo provenire debebat.

26. Quia mediante Virgine omnia facile à DEO
impetrantur.

Methodius Patravensis hom. de Simone ita alloquitur Virginem. Benedicte tu, prorsus benedicte, omnibusq; desiderabilis: in benedictionibus Domini nomen tuum, Divinâ gratiâ plenissimum: omnibus generationibus excelsior, omnibusque visibilibus, atque invisibilibus operibus longè præstantior declarata. Sopbron: qui floruit anno 400. serm. de Assumpt. B. Virg. qui inter opera S. Hieronymi habetur, sic ejus magnitudinem prædicat. Bene gratiâ plena dicitur, quia cæteris per partes præ-
L 1 itatur,

statur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Quidquid enim in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & iustitia, quæ de cælo prospexit, & idè immaculata, quia in nullo corrupta. Verè Hortus deliciarum in quo consista sunt omnia florum genera, & odoramenta virtutum, sicquæ conclusis, ut nesciat violari nequè corrupti ullis insidiarum fraudibus. Fons signatus totius sigillo Trinitatis, ex quo vitæ Fons manat, in huius lumine videbimus lumè. *B. Joseph Hermannus opusc. 3. Gaude summa Creatura, Mater Dei Virgo pura, gaude laude infinita, redimita Margarita. Amplius s. Brigitta lib. 1. cap. 24. Nulla Virtus est in Deo, quæ non refulserit in Maria. s. Ioan. Damasc. Men. lam. 1. ode 4. O intemerata rogamus te obnixè, ut pro famulis tuis, assidue intercedas, potes quippè re ipsâ omnes salvare, ut Dei altissimi Mater precibus, Maternâ autoritate pollutibus. Verè potest, cum sit ut proximè dictum omnibus operibus Dei longè præstantior, omnibus sanctior, tam propinqua Deo: potest verò & vult; idque non semper nostras expectantes preces, quibus exoretur. Testis esto 13. Ian. s. Joseph. Confess. Quis ad tuam se protectionem ô Deipara confert, qui non celeri per te immunitate donetur, teque Auxiliatricem agnoscat tam potentem, ut nulli clientis fiduciam sinas confundi. Bonav. in spec. cap. 7. ad illud Isai. II. Egre dietur Virga de radice Iesse &c. Quicumque septiformem Spiritûs S. gratiam adipisci desiderat, ipsam Florem Spiritûs S. in Virgâ quærat, per Virgâ enim ad Florem, per Florem ad Spiritû in eo requiescentem pervenimus: per Mariam ad Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritûs S. inuenimus.*

Bern. serm. 3. de adventu. Studeamus & nos dilectissimi per ipsam ad Deum ascendere, qui per ipsam ad nos descendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam venit in nostram miseriam. Quod dum agnoscit Ecclesia latina, exclamat: Eja ergo Advocata nostra illis tuis misericordes oculos ad nos converte. Merito illam Ephrem. orat. de laudib. Virg. vocat Vallum fidelium, & Propitiatorium laborantium. And. Cret. in salut. Christianæ fidei Propugnaculum, & eorum qui spem in ea collocant Propugnatricem: Nazim. in trag. Christi. Patronam acceptissimam. Bernard. serm. 1. de Assumpti. Advocatam salutis nostræ negotia pertractantem. Boniv. in hymno Te Deum. Agonizatricem pugnantium, Advocatam pauperum, Misericordem & Refugium peccatorum, Erogratricem munerum, post Deum solam Spem nostram & Salutem illam invocantium, Promotricem iustorum, Congregatricem errantium. Ansel. de excell. Virg. cap. 12. Benignissimus Filius tuus Dom. N. Jesus Christus erit ad concedendum quidquid voles promptissimus, &

EXAU.

exaudibilis; tantummodo itaque velis salutem nostram, & verè nequaquã salvi esse non poterimus. Hortatur hic *S. Bernard. serm. de Nativit.* Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit invenit, & frustrari non potest, exaudiet utique Matrem Filii. *Hugo de S. Vict. in sentent.* Si pertimescis supplicaturus ad Deum accedere, respice ad Mariam, non illic invenies quod timeas. Hoc est quod Deus nobis dedit Adjutorium simile nobis, quod nos juvando prioris damna compenset, & tale Adjutorium quod solo accessu sanctificavit Joannem, quid si orasset pro illo? imò & Elizabeth repleta Spiritu S. & prophetiæ donum accepit. *Greg. hom. 1. in Ezechiel:* Elizabeth simul de præterito, futuro, & præsentem per prophetiæ spiritum tacta est. *Lib. orat. Eccles. insert.* Te Domina tacente nullus orabit, te autem orante omnes juvabunt, & orabunt. *Richard. à S. Laur. lib. 12.* Hæc est Virga Moysis quã percussit petram *Exod. 17. & num. 20.*, & fluxerunt aquæ ita ut biberet populus, & jumenta. Petra Christus *Cor. 1. Petra autem erat Christus.* Duricia hujus petreæ, rigor, seu severitas justitiæ Divinæ, ipse autem nunquam ita severus, aut durus est erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum, vel indulgentiæ, si hæc Virga eum tetigerit piâ oratione. *Aug. serm. 3. de Nativ. Virg.* Nec dubium est quia quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus impendere suffragium. Undè illam *Greg. Nicomed. orat. de Purif.* vocavit, Omnipotentem suis orationibus. Et aliundè hæc potentia patet, quò enim quis sanctior, efficacius apud Deum orat, Virgini verò nemo in sanctitate æqualis. Undè *August. serm. 29. de SS.* Nullum potiorum meritis invenimus ad placandam iram æterni Judicis, quàm eam quæ fieri meruit Mater ejusdem Redemptoris, & Judicis. *S. Thom. opusc. 8.* Magnum est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratiâ quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium de mundo, hoc esset maximum: & hoc est in Christo & in Virgine, nam in omni periculo potes habere salutem ab ipsa Virgine gloriosa. Undè *Cantic. 4. mille clypei id est remedia pendent ex ea.* Item in opere virtutis potes eam habere in adjutorium, & idè dicit ipsa *Ecclesiast. 24. In me spes vite & virtutis.* Sed *universalis Ecclesie Romane 12. Sept. in Brev. sensus ille est, qui Chrysost.* Visne agnoscere quanto hæc Virgo præstantior cœlestibus potentijs: illæ cum timore, & tremore, assiltunt faciem velantes suam, hæc humanum illi genus offert quem genuit, per hanc & peccatorum veniam consequimur.

Idiot. in prol. Cant. Cæteri Sancti jure quodam patrocinijs pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia altissimi, quàm pro alienis, Bma verò V. Maria sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona & Advocata, & cura est

illi de omnibus. Hanc solitus adhibere Exoratricem *S. Franciscus Xaverius* cuius efficaciam profertur *lib. 2. epist. 6.* Quò facilius impetrarem Sanctissimam Dei Parentem Patronam adhibui, quæ cœli Regina, nullo negotio quicquid orat Filium, exorat. Hoc ipsum promittit *Christus* *Matris sue audiente S. Brigitiæ lib. 1. cap. 10.* dum sic Matri locutus: Nulla erit petitio tua ad me, quæ non exaudiat, & pro te omnes qui petunt misericordiam cum voluntate emendandi gratiam habebunt. Propter quæ Ecclesia latina orat Christum Dominum: *Qui tibi de actibus nostris placere non valeamus, Genitricis Filij tui intercessione salvemur.* Quia ut *S. Germanus orat. de zona,* omnia tua admirabilia sunt ô Deipara: omnia ingentia, & aliorum vires superantia, propterea patrocinium tuum majus est quàm ut intelligenti comprehendendi possit. Explicat hoc quâdam hypothesi *Suarez tom. 2. in 3. p. 42. sect. 2.* Si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totam curiam cœlestem illi resistere, sicut apud Danielem Angelus alteri resistebat potentior esset, majorisque efficaciam, & valoris apud Deum Virginis quàm reliquorum omnium Sanctorum oratio. Insuper *Jdot. in prol. contempl. de B. V.* Inventâ Virgine Mariâ invenitur omne bonum, ipsa namque diligit diligentes se, imò ferventibus servit ipsa Superbenedicto Filio suo irato potentissimè reconciliat servos, & amatores suos: tanta quoque est ejus benignitas, quod nulli formidandum est ad eam accedere, tantaque misericordia quod nemo ab ea repellitur, imò donis, & charitatibus ædificat servos suos, ut Superbenedicti Filij sui, & Spiritus S. digna fiat habitatio. Ipsa preces & sacrificia servorum suorum, & maxime quæ sibi exhibentur præsentat in conspectu Divinæ Majestatis, quia est Advocata nostra apud Patrem, sicut Filius apud Patrem: imò apud Patrem & Filium procurat negotia, & petitiones nostras, & sæpè quos justitia Filij potest damnare, Matris misericordia liberat, quæ Thesaurus Domini est, & Thesauraria gratiarum ipsius, donis spiritualibus ditat copiosissimè ferventes sibi, & potentissimè protegit eos à triplici adversario mundo, carne, & diabolo, quia salus nostra in manu illius est, post Filium suum Domina est universæ creaturæ, & in futuro sæculo glorificabit ferventes sibi, si eam honorificaverint in præsentem. Eli seus petebat ab Elia duplicem spiritum *4. Reg. 2.* tantum illi respondit: si videris me &c. At ubi Jordanem transiit, & duplicem spiritum, & pallium dedit. *Jordanis* imago est Virginis nullæ, juxta *S. Hieron. epist. ad Eabial.* ubi illa mediat, plus obtinetur quàm petitur. Venerunt ad Abrahamum tres viri Sodomam subverturi, accepti ab eo mensæ, in eam descenderunt familiaritatem, ut & secretum ei suum de perdenda Sodomâ prodederent. Convivium undè placuit frugale fuit, Sara illud paraverat, viles cibi

qui per manus Saræ transfierunt, tantam efficaciam habuerunt. Per *Saram*, ut intelligam SSam Virginem est mihi *Author D. Bonav. in spec. B. Virg.* Exclamat hic *Eusebianus de poenitentia Theophili.* Quis ò Domina mea speravit in te & pudore est affectus? aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit unquam derelictus? Undè hortatur *Fulbert. Carnot.* Inter hæc igitur Fratres cum toto mentis affectu Beatissimæ Virginis intercessione nos committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploramus, ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedulâ prece commendare dignetur in cœlis, neq; enim dubium quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis conferre suffragium. *Card. Hailgrinus.* Sicut oleum cæterum liquorem supernatat, sic nomen Mariæ & invocatio nominis ejus omnium Sanctorum nomina, & invocationes nominum superexcellit, & superat in efficacia subventionis. Quare *S. Joseph. Confess. in Men. 7. Martij* dixit. Beatus est populus qui te omnium Domini Matrem agnoscit, & celebrandæ beatitudinis tuæ desiderio flagrat. Consonat & *Romana Ecclesia Græcæ, dum de Virgine dicit.* Venerunt omnia bona pariter cum illa. *S. Joseph Confess. in Menais 2. Martij.* Qui sacratum uterum tuum incoluit Dominus, ille nunc omnes verâ te fide ut beatam laudantes, in habitacula toti Trinitati jucunda permutat. *S. Sabbas 2. Julij ibid.* Non dubium est, quin expertus canit: Lætitia tua ò Virgo quæ in homines sine fine redundat, instar roris maturini, illam æstuantem ærumnarum fornacem, quâ encomiastæ tui subindè in hac vita vexentur perpetuo sopit ac mitigat: hoc est extinguis Virgo atque lopus in cultoribus tui fomitem peccati.

17. Quia Cœlum ejus laudibus plenum.

S. Bernardinus tom. 3. serm. 1. a. 2. cap. 1. ita probat Christo Virginem vicinam. B. Virgo fuit Christo vicinissima quadrupliciter. 1. In Incarnatione, per carnis identitatem, quia eadem caro quæ fuit Virginis Matris facta est caro Filij Dei, ideo illi dictum: Dominus tecum. 2. In Conversatione siquidem eum lactavit, illique ministravit, ejus absentiam sustinere non potuit, nam & dolens eum quæsivit, & in templo invenit. 3. In passione fuit vicinissima, per compansionem, quia recedentibus discipulis non recessit, stabat enim juxta crucem JESU. 4. In Assumptione per gloriam. *S. Anton. 4. p. tit. 15. cap. 20. parag. 1.* Virgo Sanctissima quamvis & ipsa stella maris illustretur a sole, tamen *Apoc. 12.* dicitur velita ipso Sole, ut ostendatur præmium ejus excellentissimum, ut sicut nil propinquius & conjunctius